UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Enchiridion Piarvm Meditationvm In Omnes Dominicas, Sanctorvm Festa, Christi passionem, & cætera

Busaeus, Johannes

Mogvntiæ, M. DCVI.

4. De effectibus huius Sacramenti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70978

Visual Library

mè complecteris. 2. fieri te ex crebra communione Dei aulicum & cubiculariũ, aſſidere mẽſæ regiæ, & veſci epulo pretioſiſſimo cárnis & ſanguinis Domini. Nulla vnquam mater inuenta eſt, quæ carne ſua pauerit proprium filium: at Deus hic proprij filij carnem manducandam apponit. Vide ergo quã debeas eſſe humilis, verecũdus, comptus, & omni virtute ornatus.

MEDITATIO IV.

De effectibus & fructibus huius ſacramenti.

CONSIDERA, te quoties corpus Do-
1. mini ſumis, os applicare lateri Christi, & ſanguinẽ eius pretioſiſſimũ exſugere, vt loquitur S. Chryſoſt. ac ideo participem fieri ſpiritus Chriſti, omniumq; virtutum. Vt enim qui cibum ſumit, cum ſibi eiusq́ue vim ſibi propriam facit, ſic qui Chriſtũ ſumit eius bona & dona ſibi pro-
3. pria facit. Vnde ſicut patriarcha Iacob indutus veſtibus fratris Eſau benedictiones eius accepit, ſic nos induti carne Christi omnes benedictiones ſpirituales hæreditamus. 2. conſidera, omnia mala per com- n[illegible] nẽ pelli, vt peccata venialia, & ali-

quan-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quando mortalia, cum ſunt occulta & incognita, concupiſcentiam carnalem minui, tribulationes leniri, pœnas Purgatorij alleuiari, & dæmones fugari.

Considera per communionem gratiam in anima mirificè augeri, intellectũ illuſtrari, voluntatem accendi, cor cõfortari, conſciẽtiam exhilarari, amorẽ mundi in Dei amorem conuerti, deuotionem excitari, familiaritatem cum Deo iniri, pignus diuinę gloriæ accipi, omnes virtutes capere incrementum. 2. eiusdem beneficio te poſſe & debere multas exercere virtutes, quas abſtinendo à ſacramento non exerceres; nam qui cõmunicare vult, primo templum adit. 2. cogitat de vita emendanda. 3. dolet de peccatis. 4. humiliter confitetur, & abſolutionem cõſequitur 5. pœnitentiam iniunctam explet. 6. orat deuotius. 7. ædificat proximum. 8. exercet actus religionis. 9. profitetur fidem. 10. exercet actum amoris erga Chriſtum. 2.

Considera quot millibus hominum in mundo ignotus ſit hic theſaurus, & vt notus ſit multis, quam pauci illum quærant, Et vt voluntas ſit quærendi, tamen deeſt occaſio: ac vt ſit, non permittantur 3.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ea vti. Quot ſunt in Germania ſola, qui
optarent vel micas de mēſa Domini colligere, & copia non datur? Quot reputarent ſe beatos, ſi vel ſemel in menſe poſſent eſſe conuiuæ Chriſti? Imò quot monachis & monialibus poteſtas communicandi adempta eſt? 2. conſidera, ſi nobis Dominus dedit, quod tot hominibus negauit, & quotidie negat, quantas debemus pro tam ſingulari beneficio agere gratias? Et q̄ minus dignas reddere poſſumus, eo pluris debemus hoc ſacramentum facere, & crebrius frequētare, vt ipſemet ſibi in nobis, & p̄ nos eas reddat gratias, quas nos reddere deberemus.

MEDITATIO V.

De præparatione ad communionem.

CONSIDERA à Scriptura ſacra nos
1. moneri de hac præparatione verbis &
exemplis. Verbis, nam in primo Regū dicitur. *Præpara te Iſrahel in occurſum Do-*
1. Reg. 7. *mini Dei tui, quia ecce veniam, & manebo in*
medio tui. Et in epiſtola B. Pauli. *Probet*
1. Cor. 11. *ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat.* quam
probationem Eccleſia intelligit de contritione & confeſſione ſacramentali peccatorum

torum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN